

403

401

407

397

412

392

452

352

302

Ende

Anfang

388

His peractis ad loci considerationem nos convertimus.
Est enim locus ille in altiori culmine montis Oliveti, in fine
ejus australi, sicut Galilaea praedicta est in fine septemtrio-
nali montis, et locus praeuntiationis obitus Mariae Virginis
in medio est inter Galilaeam et locum ascensionis sub jugum.
In hoc sancto loco stat grandis ecclesia rotunda, ornata con-
structa, ita tamen, quod in supremo non est testudine opera.
Sed ipsa testudo cum industria habet magnam aperturam
rotundam, sub qua apertura stat dominicae ascensionis ca-
pella sub dio, sicut capella dominici sepulchri. Dicunt autem
historiae, quod dum fideles primo in loco ascensionis Domini
ecclesiam fabricarent, eamque opere arcuato tegere vellent,
lapides arcuum nulla arte potuerunt coaptari, et illos [i] lapides,
quos ponebant, mox positi decidebant. Quod ut fideles vide-
runt, intellexerunt Dei voluntatem esse, quod locus dominicae
ascensionis a terra usque ad coelum muris et testudine non
esset occupandus, sed patens, liber et apertus maneret. Et
ita aedificantes deduxerunt quidem testudinem per circui-
tum a rotunditate muri, sed non consummaverunt, quia
aperturam ut dixi, magnam dereliquerunt, cuius oram sectis
et politis lapidibus per gyrum clauerunt. Dum autem
aedificantes ad pavimentandam ipsam ecclesiam marmoreis
tabulis procederent, et locum, ubi steterunt pedes Christi
ascendentis, cooperire vellent, mox ipsi lapides loco
applicati resiliebant in ora aedificantium, et hoc totiens,
quotiens locum illum (149 A) conabantur operire. Hinc
ecclesiae erat quandam annexum grande monachorum mona-
sterium, Ordinis nigri, habentes Abbatem infulatum, et ante
multa tempora habitaverunt in loco illo sancti et devoti viri,
ad quorum instigationem et petitionem sanctus Jeronymus
conscriptis vitas patrum; ut habetur in prologo ejusdem libri.
In illis aureis temporibus tot lampades in illa ecclesia arde-
bant, quae per fideles ibi nutriebantur, quod totum clivum
montis Oliveti illustrabant, et anteriorem portem civitatis Je-
rusalem fulgores eorum illuminabant ultra vallem Josaphat
radiantes. E regione vero erat et est hodie templum Salo-
monis, in quo etiam tot lumina ardebant et lampades, quod
partem anteriorem montis Oliveti illuminabant. Ex illis autem

